Tantumdem eſt. Feriunt pariter : vadimonia deinde
Irati faciunt. Libertas pauperis hæc eſt:
Pulſatus rogat , & pugnis conciſus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

Iuvenal.

11 Appropinquante univerſali iudicio , erit cunctis hominibus tribulatio, qualis non fuit ex quo gentes eſſe cœperunt uſque ad tempus illud. Multa utique in hominum exterminium , ſed à Luca vidè indicatur finis initium malorum. In terris ergo erit preſſura gentium , in aquis ſonitus maris & fluctuum , *areſcentibus hominibus præ timore & expectatione.* Non videntur ſignata malorum extrema in extremis malis;quandoquidem cruciamen ratione expectationis formidinis. Spes igitur cor levat , minimè gravat : timor verò etſi præſens , deſignat futurum malum , & non gravius præſenti,quod futurum. Unde igitur cordolium ita grave cordi arenti , pro timore incuſſo & expectatione ? *Non ſignatur ſpes , ſed mora eventus* : infit Caietanus. Iudicium de actis expectatur, unde mundus iudicetur:& non areſcit homo præ cauſa , ſed præ eventus mora; quoniam ingeri , non poteſt gravior dolor in iudicio, quàm ferendæ ſententiæ ægrè ferenda expectatio. *Præ expectatione.* Ex ſententia irrevocabili ? Ex integerrimo iudice ? Ex morſu conſcientiæ?Ex actibus cauſæ?Minimè: ex expectatione. Non premit expectatio cruciaminis , ſed dolor expectationis: igitur factà collatione utriuſque cruciatus, præponitur mora eventus ; quippe potiùs cor areſcens eliget in iudicio ſententiam perpeti, quàm ante iudicium ſententiæ expectationem tolerare. Ubi geminatus dolor , ſemper eligitur minor : & homo areſcens de expectatione dolet , etiam dum ſententiam timet; igitur ita cor pavidum gravat mora eventus ex actionibus litium; ut minor dolor ſignetur ex refragatione iudicis, præ dolore expectationis.

Luc. 21. 26.

Caiet.

Pluſquàm ſententia in iudicio, gravat ſententiæ expectatio.

12 Hinc expectationem comitatur timor , ut amplificetur dolor : equidem ſi timor ex futuro malo , minimè ex timore, ſed ex expectatione , maxima cordis afflictio: quoniam non areſcit , quia formidat, ſed formidat, quippe expectat. In Pandoræ pyxide evolantibus bonis , ac remanentibus malis, his pro poſſeſsione mœſtitudinis, illis pro omiſsione conceſſæ felicitatis, timor uti individuus comes, & expectatio remanſerunt immota in pyxidis fundo. Vide Heſiodum in *Theogonia* , Ioannem Orozzium *lib.* 2. Emblem. 38. Orig. lib. 4. *Contra Celſum* , & Natal. Comit. lib. 4. *Mytholog.* cap. 6. Hinc illud quo ſupr.

—Tegmen ab urna
Dum Pandora levat , totum exiliere per orbem
Curarum infeſtæ effigies : Spes ſola remanſit
Intùs , & è labris ima ſub parte reſedit.

Heſiod.

Optimum ſymbolum pyxis Pandoræ pro ſpecimine iuſtitiæ, igitur ſtatuitur in tribunalibus ut amplectatur bona , & fuget mala , ſtabilitate iuris , atque firmitate legis, ſine diſtantia perſonarum , ſine cognitione affectuum ; quippe ad cætera cæca , videt & perſpicuè iura. Urnam habet , qua ſuffragia continentur , atque leges cuſtodiuntur. A malitia iudicum levatur operculum, unde gaudia quæ inſederant , minimè remeant , ſed fugitiva volant : qua prorsùs ſtrage pro integerrima incorrupta iuſtitia, iuſtitiæ tantùm deaurata collocatur ſtatua, ſedentibus ſine ſpe , timore & expectatione , pro pauperum moleſtiſsimo cruciamine:igitur poſt tot revolutos caſus,poſt moram eventus , cuncta timent , expectationem ſuſtinent , nec ſpem ullam pro ſolamine habent. Iudex enim promiſsis potentiorum , metu magnatum, illice munerum, dum inſpicit leges latas,

Pyxis Pandoræ cur ſymbolũ iuſtitiæ?

Dat veniam corvis , vexat cenſura columbas.

Iuvenal.

DIDASCALIA VI.

Omnia illi deſunt , qui nihil ſibi deëſſe putat.

1 GNome eſt Melliflui Doctoris lib. 2. de *Conſideratione, ad Eugen.* cap. 7. ſignatque patulum cordis vulnus , factum à proprij cuſpide affectus , de *Gradib. Superb.* cap. 15. *Credit quod audit , laudat quod agit , & quod intendat , non attendit. Obliviſcitur intentionem , dum amplectitur opinionem. Quique de omni alia re plus ſibi credit , quàm alijs ; de ſe ſolo plus alijs credit , quàm ſibi, ut non iam verbotenùs , aut ſola operum oſtentatione ſuam præferat religionem ; ſed intimo cordis credat affectu,omnibus ſe ſanctiorem. Quicquid de ſe laudatum agnoverit , non ignorantiæ aut benevolentiæ laudatoris , ſed ſuis meritis arroganter adſcribit.* Quæ non cogitat de ſeipſo ? Quem ſe non

Bernard.

Amoris proprij conditio.

non cogitat ? Cuncta in figura & ficta artificioſa phantaſià , queis ſibi placet , quia placet ſibi ſine erroris cognitione, amentis temeritate , cunctis ridendus non ſolùm quia temerarius , ſed quia in præcipiti temeritate ſecurus. Hiſpan. *Haze reir mas que la temeridad, la grande ſatisfaccion.*

Quiſquis ſibi placet , & ſapiens ſibi videtur.
Hinc riſum excutimus Superis , hinc maximus error.

Hinc Moyſes filijs Iſraël dicit : Si luminaria elevatis oculis videris , *ne errore deceptus adores.* Quare deceptionem ſimul cum errore oſtendit , dum deceptio errorem mentis ſupponit? Aliud eſt deceptione errare , & aliud errore decipi : qui aſtra lucida adorat, deceptus lumine errat. Qui ſeipſum adorat , decipitur errore , nequaquàm lumine : igitur fingit lumen , & non cognoſcit errorem : additurque deceptioni ex adoratione luminarium etiam error; quoniam ſeipſum adorare non tantùm error, ſed furor.

Deut. 4. 19.

Non ſolùm mentis error , ſed furor.

2 *Siquis exiſtimat ſe aliquid eſſe , cùm nihil ſit , ipſe ſe ſeducit* : ait Doctor Gentium , in philautiæ, atque hypocriſis exilium. Non dicit , *cognoſcit*, ſed *exiſtimat*; ut inflationem verecundia coërceat. Cognitio provenit à ratione,exiſtimatio è coloribus phantaſiæ , tranſeuntis in picturas cordis , ex iudicio læſæ mentis : ſignaturque exiſtimatio , ubi nulla dotium poteſt eſſe cognitio; quippe philautus non quærit entitatem,ſed colorem. Dotes plauduntur ex pretio cognoſcentium , non umbram fulgorem exiſtimantium : cęterùm cùm philautia gaudeat tantùm apparentià ; non gloriam quærit ex pretioſitate dotium , ſibi concilians exiſtimatione plauſum : igitur cùm nihil commendabile habeat , duntaxàt dotes æſtimat , quoniam exiſtimat. Inſtrumenta commendantur pretioſitate , iudicio rationis , nequaquàm exiſtimatione philautiæ ſine ſyndereſi , ex qua iudicium fallax & falſum;quippe iudicium proprium non eſt iudicium. *Mendaces filij hominum in ſtateris , ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum*: equidem dum ſuis ſtateris librantur , miſerrimè decipiuntur. In ſtatera tollitur quod leve , deprimitur quod grave, tanquàm in ſigno philautiæ , & hieroglyphico invidiæ ; quin philautus reſipiſcat, ſi ſe exaltatum agnoſcat : equidem uti leve & vanum plauditur, quicquid ſurſum in ſtatera tollitur ; quoniam dum magis effertur pondere plauſus , non habet pondus. In examine momenti patet , quod in ſtatera iudicij iuſtè propendet : igitur iuxta gravitatem inclinatur momentum , ex quo rationis iudicium. Quare exiſtimatione affectionis ingreſſa , elucet cunctis ſtatera doloſa ; equidem nihil poteſt eſſe ponderis , ubi nihil intervenit gravitatis. Examen dotium illuſtrium , atque pictarum, indicat pretioſitatis momentum:quod quidem falſum , uti leve plauditur , & ſimul tollitur:etenim ſi tollitur in examine; pondus ita libratum nullius momenti , quippe nequaquàm iuxta entitatem, ſed iuxta exiſtimationem. Ornamenta præclara examinantur in ſtatera iudicij, non examine philautiæ, quo patent latiùs

Galat. 6. 3.

Quærit tantùm apparentiam.

Pſal. 61. 10.

Cur conferatur ſtateræ?

Sine pondere habentia pondus.

Ovid.

Additurque vanitas ponderis ſtateræ doloſæ turpis philautiæ ; quia in ſtatera propriæ exiſtimationis tantùm librari poſſunt , quæ pondera vanitatis. Superſedeo ampliore textus examine , quippe faciam hic *Tautol.* 6. *Didaſc.* 6. à *num.* 13. & latiùs *Tom.* 6. *Tautol.* 3. ad illud : *Quæ aurea aurea , &c.* Ergo in Pauli auctoritatem.

Et ſtateræ doloſæ?

3 *Siquis exiſtimat ſe aliquid eſſe.* Quis ergo non eſt aliquid ; ut taxetur cenſurà Pauli eius exiſtimatio , cuius eſt eſſe? Quis quod eſt , negat? Qui ſeſe quid eſſe exiſtimat : igitur ut ſeducat ſe , exiſtimat *Quid*, quod *Quod.* Clarè procedendum. *Quid* dicitur quod conſtitutivum ſubſtantiæ vel perſonæ : *Quod* vel *Quale* , quod adijcitur perſonæ,vel ſubſtantiæ.In civilibus,aut politicis *Quid* dicuntur eximia merita , & dotes : *Quod* vel *Quale* munera atque dignitates : ſeque ſeducit , aliquid eſſe exiſtimans ſe ; quoniam quod *Quod* , exiſtimat *Quid*: igitur *Quid* nequit eſſe inducta forma, cùm ibi non ſit ſubſtantia. Amor proprius uti præſtigiator deludit oculos, evertit ſenſus, pervertit iudicium , evacuat cerebrum, ſopit rationem , exhaurit denique mentem, ne cognoſcat infulatus , inter blandimina attonitus , ut impoſsibilem tranſitum qualitatis accidentium in ſubſtantiam meritorum : & dum ſe iudicat aliquid , oſtenditur planè nihil;quoniam arbitratur ut *Quid* habentis , remotà ſuſtantià meriti , qualitatem dignitatis. Obſerva profunditatem Pauli. Non dicit abſolutè: *Qui ſe exiſtimat aliquid eſſe*, ſi eſt aliquid ; ſed qui ſe exiſtimat , eſſe aliquid, *cùm nihil ſit. Nihil* connotat nullam entitatem meritorum:*aliquid* exiſtimationem propriam ex fulgore dignitatum. Qui aliquid eſt , & ſe exiſtimat aliquid , claret vanus : qui aliquid ſe eſſe exiſtimat, cùm nihil ſit,eſt ſeductus: igitur traductus à philautia habet pro gloria quod

Munera etſi magna non ſunt merita.

Philauto videtur gloria , ipſa ignominia.

quod à cunctis videtur ut ignominia. Sequitur pœnitudo, quanvis ſerò, ni perſiſtat infatuatio: igitur cùm ab infulis dignitatis oriatur vera ſuperbia & gloria vana, quam coloravit propria exiſtimatio; quod ſibi videtur habere, aufertur ab eo: ſibi ſe in munere exiſtimabat aliquid, & patuit cunctis ſine munere nihil: quippequàm nihil habetur honoris, ubi duntaxat dignitas ex honore dignitatis. Fomes vanitatis huiuſmodi procedit ex ſtulta amoris infatuatione, qua videtur indigno habere meritorum cacumen, quoniam habet dignitatem, & prædeceſſores potiti ſunt honore, meritis pleni, minimè à dignitate accipientes dignitatem, ſed dignitati conferentes honorem, & pretioſitate meritorum illuſtrium, ac commendatione dotium. Ubi aliquis non eſt, non eſt aliquid, quod ex dignitate fit; igitur nulla adjacentis honoris illuſtratio ſine ſubiecto, neque honor poteſt conferre honorem, ſi invenerit incapacem. Aliquis conſtituitur quiſque maieſtate meritorum: aliquid autem maieſtate dignitatum: voluntarièque ſeducitur, qui cum nihil ſit, exiſtimat ex honore, aliquid etiam excellentiſsimum eſſe; igitur nequit eſſe aliquid vel in maieſtate honoris, qui non eſt aliquis. Vernaculè: *Nunca es nada lo que no es.*

Ubi aliquis non eſt, ſummus honor non eſt aliquid.

4 Subijt mentem illuſtris Gamalielis ſententia in ludibrium philautiæ, & vanitis præſtigiatoris Theödæ. *Ante hos* (inquit) *dies extitit Theödas, dicens ſe eſſe aliquem, cui conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occiſus eſt.* Si, quis fuerit hic, deſideratur; videndi Caietanus, Salmeron, & Lorinus. In propoſitum Didaſcaliæ inquirendum, cur in ſpecimen huius veteratoris, dicitur, eſſe exiſtimaſſe ſe *aliquem*, & non *aliquid*? Hæc vox *aliquid* quid magnum, eximium notat. Unde Ovid. 6. *Faſtor.* v. 15.

Act. 5. 36.

Aliquid pro re excellenti.

Eſt aliquid nupſiſſe Iovi, Iovis eſſe ſororem.

Ovid.

Quare igitur in ſui commendationem non *aliquid* ſeſe dixit, rem notans inſignem; ſed ſolùm *aliquem*? An quia aliquid non erat? Præſumptio ſignat, philautia notat. Eſt aliquid quiſquis ſeſe reſpicit, quod eſt. Eſt aliquis, verùm aliquid non eſt, qui cogitat plus: unde Theödas ſeſe ut eximium exiſtimans iuxta proprij amoris ſpeciem, aliquis erat, & non erat aliquid; quippe quod erat, aliquid eſſe nequiverat; dum ſeſe pluſquàm erat præſumptuosè cogitaverat: igitur nequaquàm fingebatur iudicium iuxta entitatem, ſed iuxta phantaſiæ vanam exiſtimationem. Aliud appoſitius cogito. Hiccinæ impoſtor ſuperbiſsimus extiterat, miracula patrare tentaverat, ambiebatque numerum aſſeclarum, ut obtineret dignitatis faſtigium. *Aliquid* de aliquo dicitur eſſe, ratione dignitatis, quod propudium: *aliquem* eſſe, commendabilibus meritis: quod quidem ad dignitatem eximium: & cùm faſtoſus ex tot numero virorum nanciſceretur honorem; non ſe dixit *aliquid* eſſe, ſed *aliquem*, in mulcimen ſuperbiæ & pretium amoris proprij: qui ita extra ſe extulit fatuum, atque deauravit indignum; ut ſeſe crederet elevatum in dignitatis faſtigium, non faſtigio dignitatum, ſed ſpecioſitate meritorum. *Occiſus eſt.* Occiderat ſeſe pridem, *dicens ſe eſſe aliquem*: ſequente vità rationis ſuffocationem veneno philautiæ placido, ac amoris gladio lubrico: ſui namque complacentia ita dementavit; ut ex dignitate ſeſe eſſe, & *aliquem* crederet, cum eſſet ex meritis nihil, atque ex dignitate *aliquid*: quandoquidem cogitavit adipiſcens honorem, dignitati à ſe per ſe addidiſſe dignitatem.

Præſumptuoſus, dum extollitur, minuitur.

Indignus tribuit meritis cæcitate ſortis.

5 Semper ad quælibet munera quærenda merita. Hinc Iudæi Præcurſori Salvatoris dixerunt: *Tu quis es?* Minimè qualis. *Quis* merita denotabat, *qualis* munus, quod gerebat: & quanvis merita videantur extra perſonæ ſubſtantiam, pro meritis deſignant digni perſonam; quoniam in prudentem electionem debet prædicari *in quid*, quicquid ex meritis eſt: equidem pro ornamento, nullum erit ſanè munerum, ſed qualitas meritorum. Ritè inquiſitio in electionem fit, dum eligendus non qualis inquiritur, ſed *quis* eſt: igitur minimè ambitur dignitatis ac meritorum pretioſitas, ſi in merita dignitatis ſufficitur alia dignitas: de quo hìc *Tautolog.* 6. *Didaſc.* 3. Vide dicta *Tom.* 3. *T.* 2. *D.* 6. *à n.* 4. Patet Theödas ſeductus, & Paulus expanſus: equidem cùm amor proprius ſeducat, quem ſui complacentia lactat, ut de ſe plura excellentiſsima cogitet, & blanditijs barathrum uſque præcipitet; tutiſsimè conſtruit caſum, ubi ullum non oſtenditur periculum: igitur antequàm moriatur, perimitur ſeductione; qui cùm nihil ſit, & nihili, cogitat ſtultè non tantùm aliquid, ſed aliquem eſſe. Heu miſer!

Ioan. 1. 19.

Electi quidditas meritorum qualitas.

Sui amor, amantis error.

Perijt & ipſe pudor.

Plaut.

Denique Paulus ait: *Ipſe ſe ſeducit.* Ipſe ſibi nocet. Malum utique, ab altero malum; cæterùm omninò peſsimum, ſeſe abruptè præcipitare, unde non poterit ſurgere:

re: equidem ſi in entitate veritas, atque in phantaſiæ exiſtimatione falſitatis lubricitas; tendit profectò in ruinam, quiſquis ſequitur phantaſiam. Vanus, uti dixi, eſt, qui magnitudine ſe exiſtimat magnum, & perfectione perfectum. Hic ſane inflatur, ſed non ſeducitur; quippe etſi blandiantur cogitationi merita, vanè ſanè, ſed non vana: & qui ſe exiſtimat eſſe aliquid, cùm ſit nihil, ſeſe decipit, inſidiatur, & ſeducitur, in fraudem pellitur, atque cæcè allucinatur; quoniam, quia vult, cùm non ſit, ſeſe cenſet magnum ſine magnitudine, æquè perfectum nullà prorſus perfectione, quod quidem non tantùm gloria vana, ſed intolerabilis, vilis, propudioſa amentia: igitur ſeducitur altè, dùm non cognoſcit ſeduci, & ſe magnum arbitratur, quia magnus ſibi videtur.

Unde magnus?

6 In intentum aptiùs: utinam ille cognoſcatur cæcus! Appoſitè verba Chriſti Phariſæis: *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum veſtrum manet.* Necuior cæcitas mentis, quàm corporis. Corporis quærit ducem, mentis fraudem, qua totus homo ſeducitur, ac ſine cautione in pericula labitur: igitur mentis læſæ cerebrum patitur lapidis ictum, quia philautus ut amens ſe ignorat cæcum. Magnitudo provenit ex veris meritis, nullo modo ex meritorum ſymbolis, nimirùm honoribus, muneribus, dignitatibus, faſtigioſis cacuminibus, quibus homo videtur magnus, ignorante læſo infatuato cerebro, unde vera magnitudo: cæcèque & à ſe ſeducitur, ubi extollitur, atque ex extollentia inflatur; quippequàm per dignitatem arbitratur ſeſe perfectum & magnum, ſine magnitudine atque perfectione meritorum.

Ioan. 9. 41.

Vanus & ſeductus.

Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipſa hæc
Delectant.

Horat.

Accinit Horatius lib. 1. *Satyr.* 3. v. 39. Premunt ſanè vitia, ſed mentem ducens ſeducit blandè philautia; ita ut cæcam delectent, & vitia quæ ſummè nocent. Homonè in mentem redibit? Nequaquàm, quippe error placet. Quæ turpia, pulchra videntur; conficiuntur, ut videantur.

Quæ minimè pulchra, pulchra videntur amanti.

Theocrit.

Infit Theöcritus *Edyl.* 6. & ut pulchra plauduntur, quoniam amori videntur. Philautiæ venenum ſubdolè ſerpit, ictum ictus non cognoſcit; quippe dum virus notum, pectus infectum. Latenter greſſus dirigit, lactanter venena conficit; aconito cor delectat, in voluptatem titillat, dulcedine vulnus gravat; ſed induſtria ſuavi, & optatà ſutelà: igitur non noſcitur, dum ingreditur, & apparet lethiferum, dum cognoſcitur, mentem & ſenſum fallens introitu, poſteà mente remanente ſine ſenſu; quoniam pro fota à corde delectabili inſania, nec ulla in cognitionem ſupereſt intelligentia: igitur nihil proprium pendit iuxta veritatem, ſed iuxta proprij iudicij falſam exiſtimationem.

Imò inſanus.

7 Ad cor loquitur philautia, & ubi illuc eius iudicia ingrediuntur, *venenum aſpidum ſub labijs eorum.* Cur autem aſpidum, & non aliarum ſerpentium? Proprietates aſpidis indicandæ, ut conſtet nullum diſcrimen inter philautiam & aſpidem. *Morſuum veſtigia* (ait Ælianus lib. 9. de *Animal.* cap. 61.) *tam per parum apparentia aſpis imprimit, ut indicia vix acri oculorum acie deprehendantur. Cleopatræ mors non facilè oculis comprehenſa eſt, niſi tantùm ſerò admodùm ex duobus punctis difficilibus ad videndum animadverſis, mortis obſcura ſignificatio, & inſuper veſtigia aſpidis ipſius corporis tractus, ijs qui huiuſmodi animalium motionis diſcrimina tenent.* Aptum ſanè philautiæ ſignum, quo amoris ſui dicitur præſens venenum: equidem ita fallit volubili linguà, dulciter lactante corda; ut dum infert in illa vulnus & altum, vulneris iam impacti nec ullum ſignum. Ex huiuſmodi vulnere conſtat quod ab amore latenter inflictum cordi: equidem eſtò magnum, medicamen non apponitur, quia non videtur. Ex ſagittis cordis, ſua uti eximia plaudentis, tantùm quia ſua, oriuntur profunda vulnera & vulnerum ignorantia, cum medicinæ expulſione ex mentis ſecuritate, quæ non cavet à periculo, etiam illato intra viſcera veneno. Cognitio vulneris, icti conſtat medicamen cordis: ictuſque philautus renuit medicamentum, quoniam ſe ignorat infirmum, vulnereque mortem uſque gravatur, igitur à patiente non cognoſcitur. *Miſeriam neſcire ſuam, ſine periculo eſt vivere*: dicebat Tiberius II. apud Goltzium in *Vit. Imper.* n. 104. Utique, ſine periculo eſt vivere, neſcientia miſeriæ: verùm ignorantia malorum maius periculum: ſiquidem ſummum, miſeriam undiqui pati, & miſeriam non cognoſcere. Mordet aſpis, nec apparet morſus, etiam dum fervet veneno pectus, quippe neſcitur quomodò ingreſſum, dum non apparet; vel ſi apparet, tantùm conſpicitur quaſi aciculæ punctum, quod omninò negligitur, quia non

Pſal. 139. 4.

Ælian.

Cur philautia ſimilis aſpidi?

Goltz.

Vulnus altum, quia non cognitum.

non comprehenditur: & dum ita aſpidis vulnera, aſpidum morſui aptè confertur philautia; quoniam ſunt vulnera lethalia cordi, qui morſus amanti videntur nullius momenti: igitur quod in cute vulnus deſpicitur parvum, ex morte illata latenter conſpicitur ut venenum.

Deuter. 32. 33.

8 *Venenum aſpidum inſanabile* dicitur à Legislatore Moyſe. Ita etiam Nicander in *Theriac.*

Nicand.

Aſpida crudelem, cuius ſuper omnia morſus
Immedicabilis eſt, quantum miſsile telum;
Squalidus interdum color albet, ſæpe virenti
Cum maculis: ſæpe eſt cineres imitante figura,
Nonnunquàm ardenti veluti ſuccenditur igne:
Nec tamen ulla vides impreſsi vulnera morſus.

Deſcribit ſigna morſus, & unde inſanabile vulnus. Raviſius Textor lib. 7. *Officin.* cap. 40. infit: *Nullum eſt remedium, præterquàm ſi confeſtim partes contactæ amputentur.* Optima ac ſelecta medicatio pro vulneratis ab amore proprio: igitur ſana oſtendentur præcordia, ſi patent vulnera: ac minimè extinguetur virus mentis & cordis, ni vulnerati vulneribus ſeparentur à ſeipſis. Signa morſus aſpidum præferuntur uti ſigna philautorum. Iuxta placitum phantaſiæ ludentis, apponuntur, deponuntur, ac diſponuntur colores, mira calliditate in propriam æſtimationem, ut hypocriſis fugiat acrem cognoſcentium mentem. Colore ſqualido facies albet, ſæpe cum maculis viret, interdùm ut flammis ardet, & aliquando inſtar cineris palleſcit. Albet, ſed non rectè incedit, intendens demonſtrare virtutem, quem cognoſcunt ſqualorem: igitur dum ſolicitat albeſcere: notà virulentà hypocriſi, non apparet aſpicienti candor morum, ſed ſub candore venenum. Maculis viret, verùm nequaquàm floreſcit, infatuatus ab amore proprio: qui quidem ita privatur iudicio; ut dum maculis fœdatur, de maculis ſtultiſsimè glorietur, intuens profectò ut præclara, quæ à præclaris notantur uti dedecora. Flammis etiam ardet ex veneno.

Raviſ. Text.
Sui abſentia huius ulceris medicina.
Hypocrytæ non candor morum, ſed ſub candore venenum.

Ovid.

Heu quàm difficile, crimen non prodere vultu!

Non ardet flammà charitatis, ſed livoris, in cuius uritur flammis; ubi aliquis casù plauditur, & ille omittitur, quo percellitur, ferente excandentià in genas, æſtuantis præ livore cordis flammas: unde non ex pudore, ſed ex rubore color, dum inſtat in æſtimationem pudor: quod ſanè ſignum pudoris tendit in faciem, quoniam don habet ex veneno pudorem. Altiùs hypocriſis latet, ubi toxicum cordis inſtar cineris palleſcit, quin cognoſcat cognoſci, & ſimul illudi, dum patent cunctorum oculis ludibria infatuatæ mentis, quæ ita fertur in ſua, & exiſtimat pretioſa, ut indicet quaſi auri pretioſitatem, quæ cordati deſpiciunt uti pulverem & cinerem. *Nec tamen* (ait Bern. de *Gradib. Humilit.* cap. 14. num. 42.) *melior eſſe ſtudet, ſed videri. Non melius vivere, ſed videri vivere geſtit, quatenùs dicere poſsit: Non ſum ſicut cæteri hominum. Commodior ſibi videtur una oratiuncula ſingularis, quàm tota pſalmodia noctis. Ad omnia denique ſua ſtrenuus. Vigilat in lecto, dormit in choro: cùm alijs pſallentibus ad vigilias tota nocte dormitet; poſt vigilias alijs quieſcentibus ſolus in Oratorio remanet, excreat & tuſſit, gemitibus ac ſuſpirijs aures foris ſedentium de angulo implet. Cùm autem ex his, quæ ſingulariter, ſed inaniter agit, apud ſimpliciores eius opinio excreverit (qui profectò opera probant, quæ cernunt; ſed unde prodeant, non diſcernunt) dum miſerum beatificant, in errorem inducunt.* Unde perinde eſt videre ſibi blandientem, ac videre virulentam aſtutam aſpidem.

Signa ſimulatæ virtutis.
Bernard.
Et valide hypocriſis.

9 Sic ergo morſus, mordet & alios, pro verbiſque profert virus: igitur quicquid non dirigitur in propriam laudem, detorquet in detractionem: modòque ſe videat plauſum, ſeſe abdicit lethaliter ictum. Interdum à diſcretoribus ſpirituum illi oſtenditur venenum; verùm non exaudit voces incantantium. Demonſtrant plagas, ſed obturat aures ſuas. Medicari intendunt læſo cordi, at furor illius ſicut aſpidæ ſurdæ, quæ ne venenum conſtringatur deponere; illicò ut cognoſcitur, in furorem prorsùm implacabilem inflatur. De aſpide Plinius *lib.* 8. cap. 23. infit: *Colla intumeſcere nullo ictus remedio. Unus huic tam peſtifero animali ſenſus, vel potiùs affectus eſt.* Cœl. Rhodigin. *lib.* 16. *cap.* 11. *Ad umbram aſpis exurgit.* Textor ubi ſupr. ex Lucano:

Pſal. 57. 5. 6.
Conditio aſpidis.
Plin.

Aſpida ſomniferam tumidà cervice levavit.

Text.

Idem in homine deprehendes, quod in aſpidibus vides. Accinit graphicè Lucanus *Pharſal.* lib. 9. verſ. 791.

Luc.

—Illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutem, pereunte figurà,
Miſcens cuncta tumor, toto iam corpore maior:
Humanumque egreſſa modum ſuper omnia membra,

Efflatur ſanies, latè tollente veneno,
Ipſe latet penitus congeſto corpore merſus.

Denique Grannuyſe de *Propriet. rerum,* lib. 18. cap. 9. *Quicunque ab eo* (inquit) *percuſſus fuerit, diſtenditur, & enormi infectione corporis necatur.* Licèt philautus nolit noſcere venenum, claret per ſignum: igitur quod abſcondit virulentus intra mentem, pateſcit per inflationem. Monitio ſuggeritur, ut noxa blandè avertatur: ſed nequit aſſerere tabem, quanvis percuſſus, in mortem: etenim cùm ex aliena ignorantia gliſcat plauſus, ex cognitione deſpectus; nullus datur locus pœnitentiæ: quoniam dum retur cognoſci, ne ſeparetur ſui in ſe venenoſa acceptio; procedit ſemper inflato & extento collo. Locus qui negatur ſimulationi, datur vindictæ: unde cognoſcens alios non poſſe fallere, atque venenum cognoſcere; virulentiæ extendit ſinus:

Barth. Angl
Ex correctione philautiæ oritur in amãte inflatio nimia ſuperbiæ.

Lucan.

—Tumidos iam non capit artus
Informis globus, & confuſo pondere truncus.

10 Foràs iam glorioſè extrahit, quicquid veneni intra viſcera contraxit, non cogitans mortem, ſibi ſecum portans luem, parvi pendens, ſi ſibi blanditur, quòd citò ſine remedio moriatur. Unus huic tam peſtifero animali ſenſus, ſeu potiùs affectus; ne cognoſcatur virus ut virus: quod alijs diſplicet, illi placet: quo alij contrahuntur, ipſum ſe extendit, nocente huic animali peſtifero, affectu nimio abundantia in proprio ſenſu. *Voluntatem propriam ita facere probibemur: cùm dicit Scriptura: A voluntatibus tuis avertere. Docemur ergo meritò non facere noſtram voluntatem, cùm cavemus illud: Sunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis uſque ad profundum inferni demergit.* Ita Benedictus *Regul. Sanct.* cap. 7. *Grad. humil.* 1. Labuntur in ruinam quiqui belluam non arbitrantur voluntatem propriam, ingerentem vitia & placentia, quaſi non eſſent vitia: monetque SS. Benedictus averti à proprijs voluntatibus, quaſi ab aſpidibus; quoniam crudelis aſpis in anima faſcinans voluntas propria: igitur non ſolùm fovet inflatione ſuperbiam, ſed movet ita in audaciam; ut dum venena per complacentiam ignorat, uti virtutes, quæ iniquitates, defendat. In rabiem impellunt huiuſmodi pravæ deliciæ, maximè ſi à cordatis obijciuntur uti maculæ: equidem cùm ſui amatoribus ſint mulcimen, & in reprehenſione vereantur ſeparationem: ne increpatio deleat lucentem maculam, adinſtar aſpidum inſurgunt etiam in umbram: quippequàm quod placet, ambibunt vitium, quanvis cognoſcant demergendos in infernum. Mallem magnis flagitijs affectos, quàm ab amore proprio conſpicere ictos. Mihi credite: nulla ſanè relinquent flagitia, ut retineant ſemel placita, fota à voluntate propria: equidem ex corde quaſi ex equo Troiano exeunt vitia, ut flagret anima, & innumera capita venenoſa quaſi ex Hydra. Alij tactu monitionis in mentem ſeſe recipiunt, philauti turgeſcunt, extenduntur, diſrumpuntur, dilatantur: igitur ſi removeri intenderis à viſceribus aconitum; furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentium. Vernaculè: *Saltan como unas ſierpes; ſe ponen como unos aſpides.*

S. Benedict.
Summum malum, dũ placet vitium.
Voluntas propria aſpis virulenta.

11 *Minuta quædam animalia* (ait Seneca *Epiſt.* 94.) *cum mordent, non ſentiuntur: adeo tenuis illis & fallax in periculum vis eſt. Tumor indicat morſum, & in ipſo tumore nullum vulnus apparet. Hoc tibi in converſatione virorum.* Minuta videntur, & quia non videntur, vulnera prętermittuntur: verùm dum inflatur pectus; qui non apparebat, apparet aſpidis philautiæ morſus: equidem ex veneno cordis erigitur inflata, turgida cervix. Ipſa corporis exterior forma ac ſpecimen indicat interni animi occultam relaxationem. Nequaquàm foris turgeſceret, ni intus veneno flagraret: produnt venæ cervicis venena cordis: etenim qui indultus philautus homo videtur, tactus in principem dæmoniorum immutatur; quoniam non movet labia, niſi iaculando venena (Hiſpan. *Se reviſte un Lucifer*) & ex inflatione pectoris, aſpidis virus ſub labijs.

Senec.
Patet venẽnum philautiæ ex tumore.

At ſimulac facili fortè obſervaverit aure
Vel minimum ſtrepitum, ſegnes è corpore ſomnos
Excutit, & teretem ſinuat mox aſpera tractum
Horrendumque caput, porrectaque pectora tollit.

Nicand.

Succinit Nicander ubi ſupr. Ex quo etiam obſerva diſcrimen aliarum ſerpentium & aſpidum. Aliæ in conditione dum tactæ, eſtò virulentæ, ſunt ſimiles cochleæ.

Terreſtres alij cochleas ſimilare videntur.

Idem.

Differentia reptilium indicat ex animis differentiam vitiorum. Quodlibet vitium ſerpens eſt, aliud ſic, aliud verò ſic: verùm dum alia ſimilia cochleæ, amor proprius omninò ſimilis aſpidi. Cochlea illicò ut tangitur, ſummittitur, & intra ſe contrahitur. Aſpis autem turgeſcit, dilatatur, extenditur: vibrat iacula lethalia, proijcit ab ore tela in quæque obvia: aſpidique

Cur ſimilis aſpidi, & diſsimilis cochleæ.

confertur, quiſquis morſus à philautia; quoniam ubi peccator tactus correctione ſeſe humiliter ſummittit, ipſe in correctorem diſruptus venena vomit.

Hypocrita & philautus confertur ſæpiæ.

12 De ſepia, ſeu Loligine notum, difficilè capi, quoniam aquam immutat atro colore, fugitque oculos captantium ex viſceribus eiaculans attramentum. Vide Ælianum *lib.* 1. *cap.* 34. Unde proprietatem ſignans Picinell. pro epigraphe emblematis inſignivit: *Hac eludit retia fraude*, lib. 6. *Mund. ſymbol.* cap. 46. n. 230. Apprimè Ovidius in *Halieutic.* verſ. 19.

Ovid.

Sepia tarda fugæ, tenui cùm fortè ſub unda
Deprenſa eſt, iamiamque manus timet illa rapaces,
Inficiens æquor nigrum vomit illa cruorem,
Avertitque vices, oculos fruſtrata ſequentes.

Ælianus quo dudùm *lib.* 5. cap. 44. inquit: *Venenatus ſepiæ morſus, dentes autem ipſius validi latent.* En ſymbolum vivax philauti pectoris in conditione loliginis. Incedit ſecurè per fluctus plauſus, quin cogitet eſſe fluctus: nullos ſentit hamos, ignem accendit, & ardet, ſeſe pellicit, ſibi blanditur, ſibi lenocinatur, illuſus imagine falſa, inutili complacentià: igitur cæcè videns ſe quærit, & ſe non invenit: tantus tenet error amentem. Apagè errorem. Avertetur ne arte aliquà ab huiuſmodi amentia? Capietur? Neutiquàm, quanvis ſine effugio deprehendatur: ſiquidem nec derelinquet errorem, etſi effundat totum ſanguinem: imò ut ſequatur quæ lubitò, cuncta implebit atramento; quoniam circundantes maculat, modò piſcatores fugiat, oſtendens in atramento venenum fotum, præparatum in effugium. Dialecto noſtrà vigilanter: *Todos los llena de tinta.* Unde cum nemini placeat (eſtò iniuſta) contumelia, vagatur philautia indulta: quæ quidem ne capiatur; adinſtar ſæpiæ ſi invalidum in effugium atramentum, habet in ore morſum & venenatum.

Conditio ſepiæ.

13 Hinc inſanabile vulnus, ideoque gloriatur de vulnere pectus. *Caput aſpidum* hiccine Narciſſus *ſuget*: ut ait Iobus. Cur non aliorum reptilium, ſed tantùm aſpidum? *Huius morſus ſine dolore lethiferi*: infit Ælianus *lib.* 9. c. 11. Dolor procedit ex vulnere, & infligitur punctione. Nemini placent vulnera, quia ſenſui gravia: & ſui amator caput aſpidum ſugit, atque venenum exhaurit; quoniam non cogitat ſuctum voluptuoſè in mortem, modò percipiat ex veneno dulcedinem. *Suget.* Longè abeſt, quod reſipiſcat, ex eo quòd ſibi virulentè placeat: equidem cùm ſuctus indicet in voluptate percepta continuationem, ut ampliorem percipiat ex veneno voluptatem, ac ſibi magis adhæreat; non tantùm guſtat virus, ſed ſugendo reguſtat. In ore aſpidis ſuccus hæret dulcedo, in corde patet convulſio, ex qua acerbus pectori dolor, ac vitalitatis error: caputque aſpidum ſugit, qui ſibi placet; quoniam libenter patitur dolorem pectoris, modò ſine dolore ſubſedeat dulcor in labijs. *Habetur in delicijs*: inquit Textor ubi dudum. Quomodò ſperanda revocatio mentis, ubi aſpidis venenum habetur deliciæ cordis? Stupet ipſe ſibi, & ſibi non videtur ſtupidus, ſed quod ſibi videtur, dum inficitur: vulnuſque quod accipit, dicitur inſanabile; quoniam ſuctus veneni computantur ut deliciæ. Neſcio an hinc uſus olim diadematum ex figura horribili aſpidum, ut obſervant Raviſ. Textor ibid. Plinius *lib.* 8. *cap.* 23. Dalecamp. hìc & Cœl. Rhodigin. *lib.* 27. *cap.* 14. Corona aſſumitur in gloriam: cæterùm ex aſpidibus notat philautiam, quippequàm ſibi placens ſumit in plauſum, quod cordati averſantur uti propudium; quandoquidem cùm Furiarum inſignia colubri, & aſpides, apparent qui philauti figuræ horribiles. Pro ornatu capillorum etiam inducta huiuſmodi inſignia, quibus patentia venenoſa capita. Ita 2. *Pædag.* cap. ult. Clemens Alexandr. Aptus ornatus, cui præ ſui nimia dilectione tumeſcit pectus: igitur ſi cogitationes portendunt capilli; qui ornatur virulento diademate, toxico habito in delicijs, ipſas cogitationes oſtendit aſpides.

Iob. 20. 16. — Ælian. — *Morſus aſpidis ſine dolore.* — *Quàm virulentus philautus!* — Raviſ. — *Aſpidum figura in regum coronis, & in capillis.* — Clem. Alexandr.

Deque ſuis atros pectebant crinibus angues. Ovid.

14 Alia cauſa inſanabilitatis vulneris innuitur ab AA. præfatis. *Somnum morſu inducit aſpis lethiferum.* Elucet in ictu dolus, quo non ſanabile vulnus: equidem ſi dolor excitat percuſſum, ut ſolicitet antidotum; qui ab aſpide, iacet quietus, quaſi nunquàm vulneratus, quin cogitet tendere ſenſim in mortem, dum ſentit infecto pectore quietem. Qui laborat philautiæ veneno, premitur iſtiuſcemodi lethargo: aptèque confertur veneno aſpidis ex damno quietis: quippequàm dum charitas aliorum medicaminis ſatagit, ille in utramque aurem dormit & quieſcit. Haud movet pudor, ſed tantùm conceptus error: igitur de complacentiæ veneno diligit curam, & uſquequaquè dormit in bonam famam. Unde apparet venenum aſpidum inſanabile, ingruente ex ictu ſopore; quoniam ſanari ex vulnere nequit, qui in cognitionem periculi excitari non poteſt. *Hebetes oculos*

Cœl. Rodig. — *Earum venenum inducit ſomnum.*

oculos huic malo dedit (inquit ubi ſupr. Plinius) *eoſque non in fronte ex adverſo cernere, ſed in temporibus: itaque excitatur ſæpiùs auditu, quam viſu.* Seſe philautus plaudit, quia ſe non videt. Tempora in iudicium hominibus data, quo diſcernant tàm viſa, quàm audita. Ipſe à ſe auditur, igitur ſecum loquitur, & ſibi lenocinatur ſine iudicio, ſine corde, ſine mente in embolio volitantis phantaſiæ: equidem ſtultiſsimè gloriatur, de quibus ab ipſo audiuntur, ſed etiam ab ipſo non videntur; quoniam hebetes oculos habet, nec videt aptè quod videt. Iuxta geſta illuſtria legenda gloria, & nequaquàm iuxta audita: etenim ſæpe ab amoris proprij artibus, vel à vafris ſycophantis adulatoribus: habetque ſicut aſpis in temporibus oculos hebetes, qui laborat proprij ægritudine amoris; igitur iudicium ſine rubore profert, ex his quæ audit, cùm ipſe nulla videat, & eſſe falſa cognoſcat. Ovid. 3. *Metam.* Fab. 5.

Plin. — *Cæcus amor ſui.* — *Unde cognoſcenda adulatio?*

Ovid.

Cunctaque miratur, quibus eſt mirabilis ipſe:
Se cupit imprudens, & qui probat, ipſe probatur.

15 At quid probatur? Huiuſmodi iudicium? Dicendumne cum Stoico lib. 3. de *Ira*, cap. 36. *Quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur? Quàm tranquillus, altus & liber, cum aut laudatus eſt animus, aut admonitus, & ſpeculator ſui, cenſorque ſecretus cognoſcit de moribus ſuis?* Nullo modo: de ludicris fit iudicium & totum ludicrum. Cogita in iudicio philautiæ inſolentiam atque dementiam Caligulæ. *Quaſi perpetraturus bellum* (ait Suetonius *cap.* 46.) *directà acie in littora Oceani, ac machinis diſpoſitis, nemine gnaro, aut opinante quidnam cæpturus eſſet; repentè ut conchas legerent, galeaſque & ſinus replerent, imperavit: Spolia Oceani vocans, Capitolio, Palatioque debita.* Qui expeditionem Imperatoris videret, quid non magnum iudicaret? Legere in littore maris conchilia tantæ molis erat? Conchilia nòn leguntur, nec colliguntur; ſed proculcantur: non pretio habenda, ſed peſſundanda: diſcat ex genitore mare, quorsùm huiuſmodi exuviæ: igitur nullo modo nutrit, ut nutriat, & ſecum habeat; ſed uſque in littora expellat. En ſtudium philautiæ, concipit utique & mira de lente; quin cogitet ex oculis faſcinum, quo vita amittitur & iudicium.

Senec. — *Examen cõſcientiæ utile.* — Sueton. — *Gloria proprij amoris de quiſquilijs.*

16 Plura dixi in *Liter.* n. 54. de his, qui ſe ipſos faſcinarunt, & La-Zerda in *Eclog.* 3. *Virgil.* v. 103. num. 11. narrat, puerum formam ſuam in aquis intentè ſpectaſſe, & eà delectatum intra puteum cecidiſſe.

Faſcinatio ſui.

Invenit proprijs Narciſſus fontibus ignes,
Et ſua deceptum torret imago virum.

Petron.

Ait Petronius in *Satyr.* Fontes oculi ſunt, faſcinantes dum ſuam intuentur imaginem, ducti in formæ pulchritudinem, quo aſpectu exhauritur lues.

Non benè conſuetis à te expectaris ocellis. Ovid.

Igitur ſi forma placet, amplius floreret, expellens oculorum venenum; ſi pro ſordibus verterentur in fontes lachrymarum.

Humilitas contra philautiam.

Sic languet omne virus.

Dumque ipſa miror, cauſa mirandi perit. Senec.

Ut ait Seneca in *Oetæo*, v. 735. Perit ſanè, quicquid nimis etſi pulchrum placet cordi. Quid ſi inutile? Amor hic uti profanus expellendus, ut cordis ſanetur vulnus. Plura dixi in *Liter.* à n. 58. at in propoſitum occurrit, quod fictum de duobus Amoribus, victo, vinctoque à divino, profano. Sic igitur in *Epigramm. Græc.* ex queis Alciatus ſumpſit *Emblem.* 110. invenies.

Pereunt quę placent, ſi placent nimis.

Terque ſinum ſpuit in medium. Pro mira! Quis ignem
Igne uret? Flammas ſenſit amoris amor.

Græc.

Spuitio eſt ſignum deſpectus, unde Tibullus *lib.* 1. *Eleg.* 2. v. 97. ſuccinit:

Hunc puer, hunc iuvenis turba circumſtitit arcta,
Deſpuit in molles & ſibi quiſque ſinus.

Tibull.

Si faſcinum ab oculis, iam habetur amuletum in venuſtatem imaginis: nimirùm ſaliva, qua evaneſcit ad infectionem philautia: equidem ſi expuitione & notatur deſpectio, atque viſi abominatio; introducetur in pectus ſanè divinus, dum ſpuitur deſpectus amor profanus, quia proprius.

Saliva adverſus faſcinum.

17 Bethſaidæ erat quidam cæcus, & Salvatorem rogarunt, quòd illi imponeret manus. Plus indigebat lumine orbus in viſionem, ut perfectè excuteret cæcitatem. Quare ophthalmicus cœleſtis & manus impoſuit, & in oculos ſpuit. *Expuens in oculos eius impoſitis manibus.* Cur igitur ut illuminaret cæcum, addit medicus ſputum? Ut cæcus amore proprio adhiberet pro lumine mentis, quod Salvator exhibebat in lucem corporis. Quiſquis philautus eſt cæcus, & voluntarius: ſputo deſignatur tàm faſtidium, quàm deſpectus: & pro interiore viſione Chriſtus Dominus conſpuit in oculos cæci; quippe haud ullum efficacius in internam illuminationem remedium,

Marc. 8. 23. — *Deſpectus ſui medicina amoris proprij.*

dium, quàm humilitate ſpuere ac deſpicere ſeipſum. Perpende in viſionem tractum. Interrogatus, *ſi quid videret*, reſpondit: *Video homines velut arbores.* Homines ita?

Verſ. 24.

Micat adhuc in latebris philautia. *Vident homines veluti arbores. Vident Moyſen, & non vident. Vident homines: homo eſt enim Iſaias, Ieremias, omnes Prophetæ homines ſunt. Ergo rationales Prophetas non vident quaſi homines, ſed quaſi arbores.* Hucuſque Chryſoſt. Homil. 9. in *Marc.*

Chryſoſt.

Nonne videtur philautus, qui ſiccinè videt cæcus? Amor proprius cunctos deſpicit, dum lumina in ſe retorquet. Si videt præ ſe univerſos arbitratur indignos: unde ut clarè videat, ſaliva ducenda ad oculos; equidem inter tot tantorumque virorum multitudinem, ſeſe adamando non reputavit hominem. Homines erant & excellentes, quos viderat; verùm amore proprio cæcutiebat, quo pervertitur iudicium & iuxta nobile obiectum: unde cæco iſtiuſcemodi ſaliva neceſſaria, ut clareant emortua lumina iudicij veritate, mentis illuminatione: etenim duntaxàt cæca philautia quibat homines excellentes arbitrari tanquam ligna.

Quo philautus deſpicit quodcunque videt.

Adhuc hic non videt clarè, confuſo lumine. Ampliore remedio indiget. Bis medicandus. *Cœpit* pharmaco geminato *videre.* Ergo non videbat pridem. Sanè: igitur præclaros homines conſpexerat quaſi ſtipites. *Cœpit videre & reſtitutus eſt, ita ut clarè videret omnia.* Philautia conſtituit cæcum, hominem ſingularem iudicans truncum. Ex claritate animi, claruerunt oculi. Quæ priùs inviſa clara, & clara omnia: equidem iam eximium, quod deſpectum in primo iactu oculorum. In ſe ſputo reſtitutus, qui videbat cæcè: & cœpit omnia videre, dum vidit clarè; quippe quos pridem primo aſpectu reputaverat arbores, vidit homines inſignes. Conſtat ergo quàm ſuperba philautia, inutiliter glorioſa, undique cæca, cuius viſcera inflata aëris tumore, vanitatis prurigine: igitur priùs cæcum philautus æſtimabit totum mundum, quàm ſe confiteatur cæcum. Hic non tantùm error, ſed furor. Dicam miſero cum Iuvenale *Satyr.* 3. v. 292.

Verſ. 25.

Unde vel in ipſa viſione cæcus?

Unde venis? Cuius aceto,
Cuius conche tumes?

Iuvenal.

TAU-

TAUTOLOGIA QUARTA.

DOMINUS IPSE EST DEUS, ET NON EST alius præter eum.

Deuteronom. 4. verſ. 35.

EXPOSITIO LITERÆ.

1 HÆC eſt vita æterna, ut cognoſcant te. Ipſi verò non cognoverunt. Quomodò cognoſcent, quem miſiſti Ieſum-Chriſtum? Uſque in hodiernum diem velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Eadem Tautologia habetur ibid. v. 39. additurque: *In cœlo ſurſùm, & in terra deorſùm,* de quo *Tautolog. 6.* Hæc poſteriora dicuntur à Moyſe minimè ut Dei exprimat immenſitatem; ſed quia cum Hebræorum propenſio in adorationem idolorum, ſeu imaginum cunctarum rerum in cœlo ſurſum, & in terra deorsùm, ſive ſpecioſarum, ſive horribilium; Solis ſcilicèt, Lunæ & Stellarum, reptilium, talparum & ſerpentium (ut fusè egimus *Tautolog. præc.*) removere intendit illos ab idololatria. Quapropter, ut optime obſervat hic Caietanus, poſtquàm Moyſes indicavit (vel potiùs inhibuit) idola non colenda: quippe in illis nulla Deitas; modò profert, Deum colendum, quoniam Deus verus. *Non eſt alius præter eum.* Biblia Antiq. *Non eſt alius præter unum.* Unus colendus eſt, non multi, uti Gentiles colunt; Bibl. Antiq.
quia ipſe ſolus & non alius. Eſtò in cœlo ſurſùm & in terra deorsùm Ethnici fingant Numina, ſunt prorsùm vana: igitur Deus ipſe Deus ſolus & unus, nec alius eſt Deus, nec poteſt eſſe. *Una inducitur humanis virtutibus regula* (ait vel Ethnicus Stoicus Cordubenſis, *Epiſt.* 66.) *una enim eſt ratio recta, ſimplexque. Nihil eſt divino divinius, cœleſti cœleſtius. Mortalia eminent, cadunt, deteruntur, creſcunt, exhauriuntur, implentur. Itaque illis in tam incerta ſorte inæqualitas eſt: divinorum una natura eſt.* Et Orpheus apud Clement. Alexandr. lib. 5. *Stromat.*

Unus Deus — Senec.

Imperium unum eſt, unus princeps lumine replens
Cœlum: facta in eo ſunt, in quo & cuncta moventur. Orph.

2 Hinc emphaticum ly *Ipſe*, ante *Non eſt alius præter eum.* Q. d. Solus. Solus Dominus eſt Deus. Claret ex cap. 32. 12. *Dominus ſolus dux eius fuit: &* (pro *ideſt*) *non erat cum eo Deus alienus.* Et v. 39. *Videte, quòd ego ſim ſolus, &* (*nimirum*, vel *ita*) *non ſit alius Deus præter me.* Hebr. & Caietanus: *Videte nunc, quod ego ego ipſe, & non Elohim mecum.* Idem Maluend. Unde Bernardus lib. de *Conſid. ad Eugen.* cap. 6. *Ipſe ſibi* (inquit) *ipſe omnibus eſt: ac per hoc quodammodò ipſe ſolus eſt, qui ſuum ipſius eſt, & omnibus eſſe.* Et cap. 7. ſubdit: *Purus, ſimplex, integer, perfectus, conſtans ſibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in ſe, nihil de ſe deponens in eis: non habens quod ad numerum dividat: non quæ colligat ad unum. Unum quippe eſt, ſed non unitum. Non eſt compoſitus Deus, merum ſimplex eſt: & ut liquidò noveris, quid ſimplex dicam; idem quod unum. Tam ſimplex Deus, quàm unus eſt. Eſt autem unus, & quomodò aliud nihil. Si dici poteſt, uniſſimus eſt. Unus eſt Sol, quòd non ſit alter: una Luna, quòd æquè altera non ſit: atque id quidem Deus, ſed plus. Quid plus? Unus eſt etiam ſibi. Hoc vis tibi declarari? Idem eſt ſemper & uno modo: non modò unus ſibi; & in ſe unus eſt. Nihil in ſe niſi ſe habet.* Dilucidè prorsùs & ner-

Et pro Ideſt, Nimirum, Ita.

Quomodo Deus unus & ſolus?

Bernard.

vo